346

164

VENERANDO PATRI,

AMICO FIDELISSIMO,

JOANNE-FRANCISCO BESNARD,

In Universitate Andegavensi Doctore Medico, & Baccalaureo Medico Parisiensi,

Reverentiæ, pietatis, grati semper animi monumentum,

8 Janv. 1779

DICAT, VOVET, CONSECRAT

Obsequentissimus & addictissimus filius,
Joannes-Augustus BESNARD,
Bacc. Med. Parisiensis.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.

Mº. MARIA-ANTONIO PETIT, Doctore Medico, Præside.

An pendeat hominis perfectio, & à ratione & à manu simul concurrentibus?

I.

CŒLI & terra mentis humanæ gloriam enarrant. Quis enim fastos Physicæ perlustrando, se esse hominem non gloriabitur? Ab innumeris sæclis immota jacebat terra; quolibet die diversa puncta vivificando, sol eam pera-

grare tenebatur; ſtudet Copernicus, & jam rotat, aſtrumque vivificans in æternum ſtat! Corpora ad globum decidentia obſervat Newto, & à naturâ corporibus terreſtribus legem impoſitam detegit; exindè ad cœleſtia pervadit, & leges illis præſcriptas interpretatur, quinimò delineat. Tormentorum cœleſtium fragore mortalibus obterritis, vanum præſidium tecta offerebant, ibi & incendii & mortis horrores miſeros exanimabant; Phyſicus Anglo-Americanus tormenta cœleſtia oppugnat, & cœlo fulmen eripit.

Si tàm diſſita loca acumine mentis peragrando, leges à naturâ ſancitas felici ſucceſſu detexerit; quis non immeritò cogitat quin ad ſe redux homo ſeipſum noſcat? Perpende igitur Phyſiologiæ faſtos; innumera ſanè ibi reperies commenta, infeliciter tot innumera quot diverſa ignorantiam noſtram proclamant. Veritas phyſica una eſt omnibus. O miſera gens humana, quam lugenda ſors tua! E Phyſiologiâ nempè tanquam è fonte ſcaturit Medicina. Quot & quanta mala è tam impuro ac ſæpè adulterato quotidiè depluunt! Hominem enim ſanum conſiderat, undè diverſas corporis partes explorat, actiones harumce peculiares explicare tentat, dein tot organorum harmoniam demonſtrat, & tandem quid ſit vita & ſanitas effulget. Hæc ſunt quæ nobis pollicetur. Ibi conſcripta perluſtrando diverſa, primò una veritas phyſica apparet; illa lex ſyſtematis vitalis, quam immortalis Harveius ità in lucem edidit, ut qui nunc illam negaret adversùs Solem loqui videretur. Sed unica adhuc inter tot & tanta ingenii figmenta reſidet. Quis enim alia commenta perſcrutando, eſſe mera phantaſmata, quibus allucinantur animi, non brevi detegat? Quis præterea in illis authoris indolem non ſemper agnoſcat? Non ut aiunt naturam in naturâ obſervarunt, non purâ & caſtâ mente librum viventem interpretati ſunt. Phyſicus, ibi omnia legibus phyſicis ſubmittit, & per leges mechanicas ſolidorum actiones, & per leges bydraulicas fluidorum circulationem explicat. Jatro-Mathematicus corpus humanum explorat, per calculos aſſertiones ſuas probat. Veteres Chymici in naturæ legibus nil præter fermenta introſpiciebant; effectus qui exindè ſortiebantur, fermentationes habebant. Phyſiologici verò alii, qui mente vividâ donantur, deliria ſua & quædam ingenioſiſſima proponunt ut phyſicæ humanæ fideles interpretationes; & per ingenii ſcintillas ſæpiſſimè percuſſi homines, nubem pro Junone amplectuntur. Sic quidquid delirant Medici, mortales plectuntur miſeri. Præthereà ineluctabili fato fit, ut ſyſtema magnis authorum nominibus præmunitum, altiùs deſcendat in legentium animos, aſſenſumque mereatur promptiùs, quàm veritas nuda & ejuſmodi præſidiis ac lenociniis viduata. Inter tot & tanta mentis humanæ commenta quæ delet dies, in Phyſiologiæ chartis immortale conſcribitur

opus, ubi quàm eruditissimam necnon & accuratissimam corporis humani fabricæ delineationem Hallerus exarat. Ibi illum volupè naturam viventem observare sequimur, & quædam arcana jam diù latentia in lucem evehit. Sed si per experimenta ad viam veritatis ducitur, brevi per ea in errorem detruditur, sit incautus observator simul ac conclusiones eruere præsumit. Secùs naturæ studet Spallanzani; quis tentamina sua legendo, non miratione percutiatur? quis illum naturæ viventis fidelem interpretatorem non conclamabit? O tu gentis Italæ decus, nobis aurea suppeditas præcepta, perpetuâ semper dignissima vitâ! Nec tædio defessus, nec doloribus perterritus, mors tandem in faucibus imminet; impavidus, eodem tenore experimenta sua tentat. Quæ vidit, quæ expertus est mente purâ exponit; & non solum exindè ullum systema quod ornaret, sed etiam ullam conclusionem eruit. Nunc resurgunt Chymici, sed novo splendore fulgentes; jam illorum miracula prodeunt. Quid sit calor animalis detexerunt, quin imò fons inexplebilis ex quo perpetuo dimanat ab illis noscitur, tandem & officina in qua illud fluidum percolatur. Hinc nova depluit medela. O ægrotantes qui [illegible] venis, ad illos confugite! in unâ phialâ fluidum intricatur mirabile, [illegible] modo data porta ruit & fluctus sanguis æstuantes compescet. Vos verò, qui torpidi, languentes jacetis, consolamini, in alterâ phialâ aliud colligitur fluidum, quod vires refocillabit & vitam vestram quasi inanem denuò eriget. Exultet jam arthritica turba; enormes ejus prædicunt dolores, & sanè pede libero moxmox terram pulsabunt arthritici. In illis spes vestras reponite, ô vos lithiasi laborantes; calculi jamjam solvendi, nunc morbi nomen mutârunt; nunc non est lithiasis, sed acidum lithiasicum!

I I.

QUÆ cùm ità sint, quis non Physiologiam habebit ut campum vastissimum ubi cuilibet ludibrio ingenii sui vagari licebit? Et certè omnis homo qui sincero amore veritatem prosequitur, numquam in arenam æquè lubricam descendet; semper erroris viam gressu giganteo incedere pertimescebit. Attamen cùm in hâc circumstantiâ rerum necessariò quæstio quædam physiologica nobis proponenda incumbat; unam æquè veram ac simplicem seligemus, undè si illam enodare tentando ingenii figmenta potiùs quam naturæ judicia exponeremus, nulla indè mala. Quis enim hanc quæstionem legendo, primo intuitu veram esse non deteget? An pendeat hominis perfectio, & à ratione & à manu simul con-

currentibus ? Ut quâdam dilucidatione illam evolvere possimus, nonne primò corpora viventia analytico modo rimari decet ? Et sic ad regni organisati perfectissimum ens progredientes, rationem ac manus suæ perfectionis summam esse videbimus.

I I I

QUISQUIS vel mediocri attentione animi universalis naturæ dispositionem contemplatur . is eumdem maximi opificis scopum , idem semper consilium , omnia , quoad per infinitam ejus sapientiam fieri poterat, rebus creatis explendi, deprehendet. Ut autem à ratione suscipiatur institutio , anteà definiri placet quid per corpus motu vitâque præditum (quod organisatum vocitant) intelligamus. Est autem non tale solum , cujus fabrica ad certam normam constructum , quod hanc etiam structuræ suæ rationem continet, ut per insitas sibi vires intùs excrescere, suîque similis progignere valeat.

Regnum organisatum perlustrando , eamdem quæ includit corpora legem sequi videntur. Quamvis diversâ polleant structurâ , diversis proprietatibus gaudeant , in diverso medio vigeant ; hæc omnia quasi tot diversa quot innumera vivunt. In illorum vitæ decursu non solùm Philosofophus, sed etiam ignarus eadem observant phœnomena. Etenim genita evolvuntur ac crescunt, stant, decrescunt, tandem moriuntur, ad reproductionem suî similis eò magis idonea accedunt, quò plus ad perfectionis statum tendunt. A planta vili usque ad superbum animal, eodem ordine , eâdem constantiâ hæc diversa vitæ stadia modò citiùs , modò tardiùs (prout voluit natura) peragrare conspiciuntur individua. Triplici modo penitùs diverso vitam degere videntur entia organisata. Alia vivunt , alia vivunt & loco moventur , alia vivunt, loco moventur & ratiocinantur ; exindè vegetalia , bruta , homo. Sed sicuti in motu consistitit vita , (per actionem suam perpetuam evolvuntur partes) brevi machina periret, cùm enim per motus actuosos paulatim sufflaminaretur, ni nova materies accederet , quæ præparata ac accomodata damna vitalia reparat. Hinc nova lex stabilitur , cui vegetalia , bruta , homo ipse submittuntur. Eadem prætereà in tribus ordinibus phænomena nobis offert. Per organa acquisita excipitur alimentum , in vasis peculiaribus præparatur , exindè in membranam cellularem deponitur (in quâ percolantur hæc diversa entia) & ibi tanquam in receptaculo servatur , per vasa propria prout systema vitale machinæ damna infert ad reparanda exindè fugitur. Hinc in ve-

getalibus vernali tempore folia turgere videmus necnon & ramos, & ità ſæpè turgent ut eructent; dùm verò paulifper effugit illa mucilaginis redundatio accedente æſtate, & tunc in ſtatu perfecto viget arbor. Non haud ſecus impletur ac infarctus habetur textus cellularis in brutis, in homine ipſo infantili ætate, & ità turget ut maſſas informes nobis repræſentent illa animalia; verùm pergente & evolvente vitâ, paulatìm hæc ſufflaminantur & quò propiùs ad ſtatum perfectum tendunt, eò perfectius deturget textus cellularis, & tunc machinam perfectam nobis contemplari licet. Etſi eadem phœnomena ſyſtema nutritionis apud illa diverſa entia nobis offerat, non eodem modo illam legem proſequi videntur. Alia enim ubi vivunt adhærent, hinc ex medio in quo protruduntur nutritionem exhauriunt, & ſunt vegetalia. Ut in terrâ, aëre, quædam in aquâ extenduntur, undique organis excipientibus illa circumornavit natura, radicibus nempè & foliis. Analogiam dein conſiderando, quam inter ſe & vegetantia & animalia alunt, immeritò illis ſenſibilitatem ac irritabilitatem recuſari putamus. Vivunt ut animalia, ſed ſenſibilitas eſt proprietas vitæ, ſed irritabilitas neceſſaria vis eſt ut motus exequantur, vita conſiſtit in motu; ergò proindè cùm vivunt & ſenſibilitate ac irritabilitate frui debent. Quædam tantummodò harumce virium ſpecimina nobis pauca vegetalia offerunt; illud equidem verum eſt. Sed vegetale ubi vivit adhæret, hinc aër, terra, ſol, venti, tempeſtates ſemper ſunt idonea; ergò proindè vita ſua non è magnis procellis agitatur, nec tumultuosè inter ſe ſyſtema nutritionis & vitale agunt & harmonia ſemper ſervatur. Sed ſenſibilitas eſt præſidium vitæ, ergo cùm pericula removeantur, multò minori gradu in regno vegetali evehi debuit. Vix quoque irritablitas percipitur, cùm vita non tàm actuoſa, organa non æquè complicata ac apud animalia: quis plantarum tempore generationis non videt ſtamina voluptuosè ad piſtillum accedere, quis ſimul non avidum eſſe piſtillum judicat? Legendo experimenta D. Duhamel, de Senſitivâ, quæ dicunt de dionaeâ muſcipulâ, nonne vim irritabilitatis agnoſcimus? Prætereà foliorum reticulam corticalem ex utroque latere diſpoſitam, vi elaſticâ pollere demonſtravit D. de Sauſſure & quod in ſenſu contrario ſemper ſe convolvere tendant; undè ſi una vi elaſticâ majori prædita ſit, tunc ex latere debili excavatur folium. Hiſce addendo caulium erectiones, foliorum inverſiones per ſolis calorem, & ſi dein attendimus ad experimenta tentata à D. Covolo & celeberrimo Gemlin; vidimus quod ut irritabilitas animalis tantùm in partibus mollibus, non haud ſecùs vegetalis. Minor fit eâ proportione quâ partes rigidæ fiunt, & tandem areſcentibus evaneſcit. Ut irritabilitas animalis per ſtimulum in actum deducitur, ſic & vegetalis & contractioni ſuccedit relaxatio evidens,

& ſemper illi motus alterni ſtimulantis cauſæ in proportionatâ ratione producuntur. Non eâdem energiâ apparet ac animalis, nec tam univerſaliter diffuſa irritabilitas vegetalis eſt.

Entia quæ vivunt & loco moventur, bruta vocantur. Non ubi vivunt adhærent, undè ſibi appropriata alimenta indagare voluit natura. Hinc ſyſtema nutritionis magis complicatum, necnon & ſyſtema vitale magis actuoſum. In illis cum eminenti energiâ & ſenſibilitas & irritabilitas vigent. Cùm enim ſenſibilitas ſit proprietas vitæ ac machinæ præſidium, in brutis eminere debuit. Undique imminet periculum, hinc ſenſibus externis armantur, & hiſce mediantibus hoſtes ſuos fugiunt ac amicos appetunt. Prætereà natura ſemper provida mater, ad functiones ſuas exercendas per voluptatum illecebras quodlibet ens allicit. Reſidet illa vis ſenſitiva in nervis, quorum natura penitùs latet, & meritò ut voluptatum ac dolorum genuinæ ſedes habentur. Non eâdem quantitate diffuſi, non eodem modo terminati, diverſos gradus ſenſibilitatis explicant. Quidam inſenſibiles partes dixerunt ex eo quod per tentamina ſua nullum ſenſum experti fuerint; ſed etſi vera experimenta, nòn minùs falſam eſſe concluſionem ſequitur. Etenim onus quàm intolerabile necnon & periculoſiſſimum fuiſſet ſenſibilitas, ſi æqualiter illam per integram machinam diſperſiſſet; ſemper dignitati loci hanc proportionatam largiri debuit natura. Cùm verò ſit proprietas ac præſidium vitæ, undique exiſtere debet, ut quotidie in ſtatu pathologico illam manifeſtari videmus. Si ſenſibilitas in brutis tàm vividè exiſtit, non minùs irritabilitas percipitur. In illis organa magis complicata inſtruuntur, vita in motu magis actuoſo conſiſtit, ſequitur neceſſariò quod vis quâ motus exercentur, in brutis præcellat. Hinc totum ſyſtema movens illâ vi reſiliente ac contractili, accedente cauſâ, præpollet. Ut enim differre videntur vegetantia, ſic & bruta diſcrepant. Indè hiſtoriæ naturæ Scriptores ordines, claſſes, genera efformârunt. Non iiſdem proprietatibus prædita, vitam perluſtrare videntur, non eodem modo functiones obeunt. Ut diſtinguuntur bruta ferocia ac timida, ſic agreſtia & manſueta, alia civilia, alia ſolitaria, & hiſce diverſis facultatibus aptum corpus illis præbet natura. Hinc leoni utpotè feroci, dentibus & unguibus validum, hinc tauro cornua, apro exerti dentes, innata ſunt arma. Cervo ac lepori quæ timida velocitas; arma ferocibus conveniebant, neque igitur timidum armavit, neque ferox nudum creavit. Omne animal facultates, & in quos uſus ſuæ partes polleant, nullo inſtituto præſentit. Nam vitulus cornibus petit antequam ei nata eſſent arma, & catulus teneris adhuc dentibus mordet. Quis hæc videndo

non concludet quod animalium partium usus à partibus doceantur? Hinc, ut ait Hippocrates, naturæ enim animalium à nullo doctæ sunt. Et certè bruta, naturâ imperante, &, ut ità dicam, cogente, quaslibet suas actiones exercent, & sic connatæ sunt facultates in brutis, & semper similes manent. Hinc instinctus noscitur.

Si à septentrione ad æquatorem, & hinc ad regiones, austrum versus jacentes; nec dùm satis nobis cognitas, quousque licuerit, progredieris, unum semper idemque animal, obvium habebis. In illis diversis regionibus terram imperio ditionique subjecisse illum dixeris. Ex omnibus quæ animantis naturam non planè subvertunt, victitat, seu, quod idem est, quævis propè modum res creata, alimenta ipsi ad vitam conservandam necessaria præstat. Hominem contemplando; easdem organisati regni leges illum sortiri videmus, vivit ut vegetantia, vivit & loco movetur ut bruta. Sed quamvis vegetalia diversa, bruta dissimilia in suo naturali loco adstricta quasi includantur, idem homo totum per orbem disseminatur. Corpus suum perlustra, quasi nudum illud detegis, & tàm in altissimis æquè montibus, ac imis profunditatibus, qui in his terris sentitur, extremo tàm algori, quàm æstui sustinendo vitæ peragendæ par est. Si dein illi quæ innata arma investigas, quibus quælibet creata ditioni suæ subjicere potuit; nec dentes exerti maxillis infiguntur, nec ungulis infensissimis pedes armantur, nec tandem minitantibus cornibus caput circumornatur, nec ars innata ulla illi apparet ut apud bruta. Imbecilles quasi videntur plurimi sensus externi, non enim acies oculorum tàm acuata quàm in quibusdam brutis, odoratus non eximius dùm exquisitissimus apud quasdam bestias, & gustum adhuc acutiorem præbuit natura brutis nonnullis quàm homini. Sed ut nudus ac inermis homo vitam degit, illi rationem largitus est summus Creator, hoc dominium universale cujus ope in omnibus omnis generis qualitatis-ve locis commorari potest; manus quoque auxiliatrices porrexit, ut quod corporis naturæ jam datum tributumque fuerat, eò feliciùs perficeretur. Et ex eo hominis dignitas oritur quod omnibus, quæ occurrere possunt, temporum, locorum, rerumque mutationibus eadem semper & à cunctis aliis animantium speciebus quàm maximè dispar & diversa sit ac maneat.

I V.

De usu partium.

SICUTI corpus armis nudum, inquit Galenus, ita & animam artibus destitutam habet homo, proindè pro corporis nuditate, manus, pro animæ inertiâ rationem accepit. Quorum usus corpus, quidem armat, & modis omni-

bus cuſtodit, animam autem omnibus artibus ornat. Undè Ariſtoteles manum velut organum antè organa eſſe dixit, & alter Ariſtotelem imitatus, rationem velut artem antè artes eſſe. Etenim pro omnibus armis defenſoriis manus dedit, inſtrumentum ad omnes artes pariter neceſſarium, paci verò non minùs quàm bello idoneum. Si ad hoſtem debellandum convolat, tunc manum armat gladio, ſclopeto, &c. quibus inimicos ſuos infenſiſſimos obnecat. Non indiget ungulâ, quoniam ferreo malleo validiùs percutit. Per ſapientiam ſuam beſtias viventes modò ex his modò aliis è locis quæ ſedes ſibi conſtituerant armis ſuis pro lubitu deturbat, eoque animantes è quibus fructus & commoda ſperat ſecum abducit. Hinc animalia domeſtica, qui cum conſtitutionem eorum firmam, vireſque corporum robuſtas ſatis experiretur, utramque quantùm poterat ad ſuam utilitatem retulit. Nonne rationis auxilio manuumque ſuarum tàm diverſas à ſeſe invicem plagas cœli, tàmque multiplices & haud raro inter ſe pugnantes cibos digerit? Quis enim non facilè lubenſque concedat, rationem ac manus omninò ſua conferre, ut ignis veſtiumque beneficio, frigoris impetus, quominùs noceant frangere, diſcoquendoque cibos, digeſtionem maturare valeant. Non igitur nudus ac inermis eſt homo, nec vulnerari facilis, neque calciamentorum expers, ſunt illi arma, veſtes, domus, urbes. Hinc non ſolùm his quæ in terra ſunt animantibus, ſed eis etiam quæ in mare, aëre, dominatur. Dein ſi acies oculorum non tàm acuta, ſi odoratus imbecillis, guſtus obtuſior quâm in brutis, in manu reſidet ſenſus certior, tutior, & multò minùs quàm alii ſenſus fallaciis obnoxius, & ſtudio & culturâ tantæ perfectionis capax, ut aliorum ſenſuum, præſertim viſûs, defectum quodam modo ſupplere poſſit. Non ſolùm aliquas rerum qualitates unicè tactûs ope percipimus, ut calorem, duritiem, &c. Etiamſi aliis quoque ſenſibus pateant, tactûs tamen adminiculo certiores demùm reddimur ut de figurâ &c. In totâ cute reſidet tactus, cum ei inſerviunt corii papillæ, variæ in variis corporis partibus figuræ; quibus extremitates nervorum, pulpoſorum, penicillorum in modum terminantur. Sed quamvis res ita ſint, longè principalia tactûs organa ſunt manus & ibi ſedet, quarum cutis etiam ſingularia præ ſe fert plurima, in volis ſcilicet & ad digitorum articulos ad facilitandam complicationem ſulcata eſt, ac depilis, extremi verò digiti domeſticâ facie elegantiſſimis ductibus plùs minùs ſpiralibus lirati; exteriore verò ſylveſtri unguibus ſcutellati, in eum finem conceſſi ut explorantium digitorum preſſioni reſiſtant paulò & ità eorum actionem adjuvent. Eadem fabrica ad pedes conſpicitur, ſed per conſuetudinem ac conculcationem futilis ac irrita fit. Manuum adhuc ſitus & diviſio præſtantiùs hoc organum reddit; cùm diviſa in alterutro ſitu, hocce modo diverſa corpora di-

versâ mole ac figurâ potest apprehendi ; quod impossibile fuisset, si indivisa manus. Adhuc per inæqualitatem digitorum, corpora quorum moles major ac minor est comprehenduntur. Unus opponitur, quatuor aliis, ut curvatus minimâ flexione cum singulis quatuor oppositis actionem perficiat, quæ non perficeretur, si quinque juxta lineam rectam disponerentur.

Exindè suprà alios sensus externos tactûs præexcellentiæ evidenter causa nascitur. Quid sunt enim sensus externi ? Organa quæ externarum rerum impressiones sibi factas sensorio communicant, undè corporis quasi sunt vigiles, animæ verò instructores. Sensibus externis itaque, animæ, ideæ advehuntur, undè adagium : Nil est in intellectu quod anteà non fuerit in sensu. Facultas illa cujus ope anima impressionum in sensuum organa factarum conscia fit, perceptio vocatur.

Juvat illam alia facultas eminentioris adhuc dignitatis, attentio, quæ animam ità dirigit ut de eâ unicè & quasi tota cogitet. Ideis conservandis, iisdemque vividiùs quoque excitandis inserviunt aliæ binæ facultates, quas vocant memoriam & phantasiam. Memoria signis magis rerum arbitrariis recipiendis ac custodiendis, inservire videtur ; phantasia à contrario ipsas potius imagines suscitat, tanquàm præsentes exhibet, & vividissimè quæ aut voluptatis aut tædii sensum excitant. Impressiones per sensationes acceptæ, vel revocatæ invicem comparantur, indè judicium nascitur à voluntate independens ; enim voluntas circà tantùm sensationes versatur, cum sit appetitus rei gratæ aut aversio rei noxiæ, undè motus muscularis ; fit uti in brutis quæ solus instinctus dirigit. Hinc homo moralitatis compos & perfectibilitatis, ratiocinii capax, undè libertate fruens, judicia & actiones non ad sensationes solas, sed ad notiones dirigit, ubi liberum est functionum spiritualium exercitium.

Itaque cùm à summo Creatori lex sancitur ut occasione impressionis modo convenienti suprà organa sensoria factæ, nascatur perceptio, exinde sequitur quod quò magis perfectam impressionem transmittat organum, eò perfectior perceptio. Sed in manu residet illud perfectissimum organum quod immediatè cognoscit objecta & sic immédiatè fit perceptio. Dùm verò alii sensus qui quoque per contactum agunt (unde reipsâ quinque sensus materialiter idem sonant tantùm formaliter distinguntur) non immediatè ad sensorium objecta externa transmittunt, cum eis enim non immediatè uniuntur. Lumen v. g. retinam percutit postquam diversa media peragraverit, in quibus diversas refractiones experitur. Sonus qui in tremore consistit oscilatorio insensibilium, minimarum, elasticarum moleculàrum corporis sonori per aërem proprium suum vehiculum propagatur & sic ad organum auditûs pervenit, ibi subeundo aurem externam mutationes experitur & dein

aurem internam percutit. Olfactus eſt impreſſio effluviorum quæ ex omnibus ferè naturæ corporibus continuò emittuntur in atmoſpheram, hinc aër onuſtu seffluviis, ubi inſpiratur, vel per motum fluiditatis ad nares rapitur, & ſic nervos olfactorios afficit. Imbecillis tamen apud homines quamvis adſit nuditas quaſi nervorum & cerebri proximitas. Guſtus qui primo intuitu cum tactu convenire apparet, ſolummodò ſalinis & diſſolubilibus affici poteſt. Nonne exindè concludere pronum eſt perfectiorem eſſe tactum manuum aliis quatuor ſenſibus, in eo quod per contactum intimum & in omni ſenſu exerceatur illius facultas ? Inde impreſſiones æquè certiores ac multiplices percipit anima. Ergo à perfectione iſtiuſce ſenſus, animæ operationum pendet evidens perfectio.

V.

PRO re nata organiſatum ſiſtema perluſtrando, triplici modo formaliter diverſo in terris hæc diverſa entia vitam degere vidimus, cuilibet ordini quæ magis ritè ſuas ad functiones peragendas idonea eſſent naturam largiri mirati ſumus, hominem ibi ſemper eundem univerſum per orbem diffuſum, quælíber creata ſub ditione ſua ſubjicientem conſideravimus, quamvis inerme ac nudum habeat corpus, quamvis ſenſus non æquè ſagaces ac apud quædam bruta; rationem ac manus ſuas accuſando, perfectionem ſummam ac excellentiam propè divinam monſtravimus. Undè rivos claudendo cùm ſat prata biberint, nobis concludere liceat ;

Ergo hominis perfectio, & à ratione & à manu ſimul concurrentibus pendet.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Ludov. BERTHOLLET, *utriuſque Pharmaciæ ann. 1784-85 Profeſſor.*

M. Ludov. Carolus HALLOT, *Rei Herbariæ Profeſſor annis 1783-84, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.*

M. Franciſcus THIÉRY.

M. Joann.-Bapt.-Joſ. THÉRY.

M. Joannes-Jacobus LE ROUX DES TILLETS, *utriuſq. Pharmaciæ M. Bertrand ſufectus an. 1780-81, Chirurgiæ gall. idiomate ann. 1783-84 Profeſſor.*

M. Anna Claudius DORIGNY, *Rei Herbariæ annis 1754-55 Profeſſor.*

M. Joannes-Franc. MARINIER, *Chirurgiæ latino idiom. annis 1786-7 Profeſſor.*

M. Auguſtinus ROUSSEL DE VAUZESME, *Bibliothecarius ann. 1780-81.*

M. Lud. Joan.-Bapt. COSNIER, *Chir. gall. idiom. an. 1754-55, Chir. lat. id. an. 1755-56, Phiſiol. & Pathol. an. 1757-59, iterum Chirurg. lat. id. annis 1762-63 Profeſſor.*

Proponebat Pariſiis, JOANNES-AUGUSTUS BESNARD, Andegavenſis, Doctor Medicus in Univerſitate Andegavenſi, Saluberr. Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1789.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.